



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

De ijs, qu[ae] Parochus ipse seruet, & paret, anteaquam Baptismum ministret.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

rum, non brutorum animantium, nō faci-  
norosum hominum: nisi nomen tale sit,  
quod sancti habuerunt. Est enim cū  
pietatis, disciplinæque Christianæ ra-  
tione atque officio coniunctum, quo pri-  
mū tempore nomen Christo Domi-  
no in Baptismo datur, id eligi, atque  
imponi, cuius nominis recordatione fi-  
deles aliquando excitati, neque turpi-  
ter agant, & in ijs piorum operum cur-  
riculis versentur, quæ proponunt eis  
exempla sanctorum, quorum nomina  
habent.

Exposito autem infanti nomen impo-  
net, quod in schedula collo eius appen-  
sa scriptum est: illudque notabit certo li-  
bro, quō facilius, atque adeo certius, qui  
infantem exposuit, si quando voluerit,  
ex nomine recognoscat.

Quam ob causam aliquando pro oppor-  
tunitatis ratione, hospitaliū locorum,  
vbi infantes exponi moris est, admini-  
stratores, prefectosve monebit, vt ea ip-  
sa schedula asseruetur diligenter.

Cum verō sepē aliās, prout locus, tem-  
pus, personarumque conditio tulerit, tum  
maximē cum expositum baptizat, hoc  
grauiter monebit; vt omnes, quicumque  
sint, caueant suos, aut alienos filios expo-  
nere, nisi vrgens, magnaque necessitas  
id facere cogat: tuncque si fieri potest, nē  
exponant in compitis, via, aliove loco,  
vbi facile perirent; sed in hospitalibus,  
locisve speciātim eo nomine cōstitutis;  
ac præterea collo appensa alligatave in-  
fantis, qui exponitur schedula, aut nota  
alia indicante nomen, & Baptismum, si  
baptizatus est.

Cum infans, præsertim si iter longius  
est, ad Baptismum feretur, vas etiam a-  
quæ portari monebit Parochus; vt si  
quod fortasē mortis periculum (quod  
aliquando incidere potest) in itinere  
euenerit, ministraretur etiam in via pe-  
riculo instante.

Vestem etiam candidam paruulam in-  
star pallioli, è tela lineā, aliōve genere  
non serico tamen, albi coloris conse-  
ctam, quæ collo annecti possit, è domo  
parentum infantis portari significabit:  
quæ veste illum baptizatum induet cū  
dicer, [Accipe vestem candidam,] vt in  
sua suo loco.

De ijs quæ Parochus curet, cum time-  
tur de partu.

**Q**uoniam de improviso periculum  
partus incidit, hoc etiam Paro-  
chus aliquando monebit; vt ob-  
stetrix, aliave mulier in partu præsens,  
si quando aliquam in parturiendo ita la-  
borantem animaduertit, vt foetus peri-  
culum mortis probabile antequam in-  
tegrè nascatur immineat, vbi primū  
aliquod membrum vitalem motum ha-  
bens ex matris vtero extare videbit, il-  
lud aqua perfundens, aspergensve, nul-  
lo nomine imposito baptizet, dicens;  
Ego te Baptizo, in nomine Patris, & Fi-  
lij, & Spiritus sancti.

Si quādo autem in partu mulier obie-  
rit, hoc fieri admonebit, vt vterus ape-  
riatur, indeque foetus educus, si viuat,  
quamprimum baptizetur. Id verò ma-  
gna cautione fiat, vt & is viuus ex vtero  
extrahatur, & tunc in primis, cum ma-  
ter verè mortua est, nē pro salute filij  
mater occidatur.

Hoc verò etiam parentes, & domesti-  
cos, prout opportunitas feret, admone-  
bit; pro foetu qui in vtero est, Deum as-  
siduè intimeque precari, vt ille incolumi-  
tis in lucem edatur, diuulque sit an-  
tequam obeat, Baptismi gratiam per-  
cipere, nē sine salutis sacramento de-  
cedat.

Et quod piæ deuotionis est, id quoque  
prout vsu venerit admonebit, vt tem-  
pori pariendi propinqua mulier ad ec-  
clesiam accedat, vbi pro ea præsentē sa-  
cerdos oret.

Mulier autem eo nomine cū veniet, piè  
ac deuotè ad altare maius benedictionē  
suscipiet; quam ille ritè adhibebit, vt  
suo loco descripta est.

De ijs, quæ Parochus ipse seruet, & pa-  
-ret, antequam Baptismum  
ministrat.

**P**rimò Parochus videbit, vt sine  
conscientiā peccati mortalis, quem  
admodum supra in rubricis generalibus  
traditum est, purè sancteque sacramen-  
tum hoc administret.

Ieiunus, & mane ministrabit, nisi neces-  
sitas aliter postulat. Nec verò ante or-  
tum,



um, neque post occasum solis, nisi itidem necessitate urgente.

Ex aliena autem parochia infantem delatum non baptizabit, nisi instante necessitate, aut de Episcopi, Parochie proprii licentia; aut alia legitima facultate. Quamobrem primò quæret, an suæ Parochiæ sit infans Baptismo oblatus.

Diligenter in primis ante inuestigabit, an infans baptizatus sit, & à quo, & qua materia, & qua forma. Eum verò, qui baptizauit, de forma prolata in terrogabit, vt certò sciat, an ea rectè adhibita sit. Quam si certò compererit ritè adhibitam esse, nullo modo Baptismum iterabit, sed preces, & alia quæ ad Baptismi solennitatem pertinent, supplebit.

Neq; autem in priuatis ædibus, oratorijs, aliove loco, præterquam in ecclesia Parochiali, baptismalive, solenniter baptizabit.

Paulò ante quàm Baptismum ministrat, preparabit oleum sanctum, & chrisma, suis quodque vasculis perspicuè, vt supra distinctum, eo ipso anno in hebdomada sancta die Cœnæ Domini benedictum. Veteri autem, vel oleo sancto, vel chrismate non vtetur, nisi antequam nouum habeatur, necessitas illius vtendi inciderit. Omnis autem Parochus, vsque adeo in tempore alium sacerdotem, aut clericum sacris initiatum mittet, qui sacrum oleum recens ferat è Basilica Metropolitana, ecclesiæ plebana, vt eo recenti vti possit, neque necesse habeat vetus adhibere. Verùm si recenti iam allato aliquid reliqui est de veteri, in Lampadario statim comburatur.

Si verò oleum sacrum, chrismaue intra annum deficere videtur, neque aliunde haberi potest; in tempore aliud non benedictum, vt alio loco dictum est, sensim tantum infundet, vt hoc minus sit, quàm illud, quod consecratum benedictumve est.

Parata quoque habebit hæc omnia, vt potè peluim vsui ecclesiæ addictam, in qua lauet manus peracta Baptismi ministracione: vas item aquæ; mappulam; bambacium ad abstergendas infantis

partes, oleo, & chrismate sacro linitas, quod quidem bambacium afferet in peluicula decenti, in eadem reponendum post absterzionem. medullam panis itè ad abstergendos sibi digitos inunctos; vasculum cum sale benedicendo; mantile decens, & mundum ad abstergendum caput baptizati ad prescriptum Concilij Prouincialis quarti.

Tit. de bap.

Sal, non domo infantis, qui baptizandus est, asportatū; sed in vasculo, quod vasi chrisomatis adiungitur, benè paratum habebit; ita vt purum sit, candidū, nec verò commissum, ac præterea non humidum, sed siccum.

Illud verò speciatim benedicet ad vsum eius, qui tum baptizandus est: neq; sale vtetur diebus Dominicis exorcizato ad aquæ benedictionem. Si quid verò supererit, cauebit, nè aliò asportetur, sed in sacrarium, aut in aquæ benedictæ labrum projicietur.

Parabit item huc librum: in quo præuidebit etiam, ac despiciet ordinem, & ceremonias Baptismi.

Habebit etiam vnum, aut plures vbi fieri potest, clericos paratos, superpelliceis indutos, sibi opportunè ministrantes.

In altari præterea, si quod in baptisterio, aut propè baptisterium est, paratas habebit candelas duas: quæ accensæ colluceant, dum Baptismum ministrat. quòd si altare satis commodum Baptisterio non sit, in mensa ibi cum mappa decenti posita eadem lumina habebit.

In ipsa autem ministracione, præter cætera, quæ vel generatim, vel speciatim iam supra tradita sunt, hæc etiã animaduertet; vt vbi litera N. scribitur, nomen eius, eorumve, qui catechizantur, baptizanturve, aptè rectèq; exprimat pro ratione sexus, numeri, & casus. Vbi adscripta est crux  $\text{✠}$ , crucis figuram formabit.

His ita paratis, & animaduertis, Parochus, sacerdosve, infante ad Baptismum oblato lauat manus; superpelliceo, stolaque violacea in exorcismis, catechismisque vtitur; cum ad baptizandum accedit, illa deposita, aliam albi coloris sumit.



Accedens igitur ad fores Ecclesie, in terrogat primò, qui susceptores sint: tū baptizandi ordinem tenet, vt infra.

Ordo Baptismi paruulorum.

**I**nfans sub vestibulo Ecclesie præ foribus à compatre, aut commatre, brachio dextro illum, vel illam sustentante, ita offertur, vt è conspectu Parochi sit: qui superpelliceo, & stola violacea indutus, in limine ostij Ecclesie stans, primò interroget, an suæ Parochiæ; tum masculus ne sit, an fœmina: post, an domi baptizatus. Vbi verò baptizatus nō sit, ita vt infra ordine, riteque interroget: & aduertat, vt genus in pronunciatōe semper mutet, si fœmina fuerit, vt in rubricis dictum est.

Parochus. Quis illum offert?

Patrinus. Ego.

Paroch. Quid vult fieri?

Patrinus. Christianus.

Parochus. Meretur à parētibus suis?

Patrinus. Meretur.

Tum Parochus abrenunciationis mysterium inchoando, ad infantem versus, interrogat.

Abrenuncias Diabolo?

Patrinus pro infante respondet.

Abrenuncio.

Parochus. Abrenuncias sæculo, & pompis eius?

Patrinus. Abrenuncio.

Tum Parochus illum admonet, & cōtestatur dicens.

Memor esto sermonis tui: & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Patrinus. Memor ero.

Deinde Parochus pollice, & indice salua oris sui percussio, tangit infantis aures, & nares.

Cum tangit aures, dicit. Epheta, quod est, adaperire.

Nares tangendo, dicit. In odorem suauitatis, in Christo Iesu Domino nostro, in vitam æternam. R. Amen.

Post ter faciem illius ad similitudinem Crucis exsufflat, dicendo.

Exsufflo te immundissime spiritus, in nomine I Domini nostri Iesu Christi. Tu autem effugare Diabole: appropinquabit enim iudicium Dei.

Hic oleo catechumenorū pollice suo intincto, eum vngit in pectore, & interscapulas, signum Crucis faciendo, simulq; dicendo:

Ego te inio oleo salutis, in Christo Iesu Domino nostro, vt habeas vitam æternam. R. Amen.

Postea bambacio partes vnctas abstergit; quod in pellicula reponit, vt post Baptismum comburatur, & in sacrum mittatur, ac deinceps dicit.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo. Oratio.

**A**eternam, & iustissimam pietatem tuam deprecor Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, luminis auctor, & veritatis, super hunc famulum tuum N. vt digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eum, & sanctifica: da ei scientiam veram, vt dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui. Teneat firmam spem, consilium rectum, & doctrinam sanctam: vt aptus sit ad percipiendam gratiam tuam. Per Dominum nostrum Iesum Christum &c.

Exsufflat in faciem eius ad similitudinem Crucis, tum dicit.

Exorcizo te, omnis immundissime Spiritus, in nomine Dñi nostri Iesu Christi. Omnis incurisio aduersarij, omnis ira, omne phantasma, eradicare, & effugare ab hoc plasmate Dei, quod Dominus noster Iesus Christus hodie ad templum sanctum suū vocare dignatus est, vt fiat templum Dei viui, & Spiritus sanctus habitet in eo, in nomine I Dei patris omnipotentis, & in nomine I Iesu Christi filij eius, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. R. Amen.

Hic interrogat, quod nomen parentes, aut offerentes infanti imponi volūt, eoq; nomine appellans, crucem in fronte faciens dicit:

N. Accipe signum sanctæ Crucis, serua præcepta diuina: verbo Dei hodie renalceris, & cœlesti luce formaris. Ingredere templum Dei viui, & sublato errore tenebrarum, euasisse te laqueos mortis lætus agnosce. Nunc ergo promissa cœlestia, & aduentus Dei omnipotentis expecta; vt possis sperare